

sentiant. Quanto igitur excelsior virtus est sapientia, tanto magis enitendum esse arbitror nobis, ut assequi eam possimus. Itaque ne quid contra naturam, ne quid turpe atque indecorum sentiamus, duo haec, id est, et tempus et diligentiam ad considerationem rerum examinandi gratia conferre debemus. Nihil est enim magis, quo homo caeteris animantibus praestet, quam quod rationis est particeps, causas rerum requirit, generis sui auctorem investigandum putat, in cuius potestate vitae necisque nostrae potestas sit, qui mundum hunc suo nutu regat, cui sciamus rationem esse reddendam nostrorum actuum. Nihil est enim, quod magis proficiat ad vitam honestam, quam ut credamus eum iudicem futurum, quem et occulta non fallant, et indecora offendant, et honesta delectent. Omnibus igitur hominibus inest secundum naturam humanam verum investigare, quod ad studium cognitionis et scientiae trahit, et inquirendi infundit cupiditatem. In quo excellere universis pulchrum videtur, sed paucorum est assequi, quivolvendo cogitationes, consilia examinando, non mediocrem impendunt laborem, ut ad illud beate honesteque vivendum pervenire possint, atque operibus appropinquare. Non enim qui dixerit, inquit, mihi: domine, domine, intrabit in regnum coelorum: sed qui fecerit ea, quae dico.<sup>1)</sup> Nam studia scientiae sine factis, haud scio an etiam involvant magis.

QUOD VIRTUTES QUATUOR ITA PERPLEXAE SINT, UT AB INVICEM SEPARARI NEQUEANT.

Primus igitur Officii fons, prudentia est. Quid enim tam plenum officii, quam deferre auctori studium atque reverentiam? Qui tamen fons et in virtutes derivatur caeteras. Neque enim potest justitia sine prudentia esse, cum examinare quid justum, quidve injustum sit, non mediocris

1) Matth. 7.